

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3527

**Auteur(s) :** Montivilliers, Notre-Dame (abbaye)

**Bénéficiaire(s) :** Louis IX, France (roi)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1256, 22 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

La prieure et les religieuses de Montivilliers prient Louis [IX], roi de France, de leur concéder la permission d'élier l'abbesse qui succède à Marguerite de Sargines.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 541, p. 99.

Texte établi d'après a

Excellentissimo domino suo, Ludovico, Dei gratia, Regi Francorum illustri, priorissa Monasterii villaris, et ejusdem loci conventus, orationes in Xpisto cum totius subjectionis reverentia et honore. Cum religiosa et honesta domina Margareta de Sargines, quondam abbatissa nostra, que Domino, quamdiu sibi placuit, in ministerio monasterii nostri militavit, cuius opera apud Deum et homines multimodis approbantur, die mercurii ante dominicam qua cantatur Letare Jerusalem, in manibus reverendi patris domini archiepiscopi Rothomagensis fecerit cessionem ; unde dolemus non modicum et non immerito, quam cessionem dictus reverendus pater, ad instantiam dicte M. vehementem, admittens, nobis dedit suis litteris in mandatis, quatinus monasterio nostro de persona ydonea curaremus canonice providere. Quapropter vivum providum et honestum magistrum Johannem de Hareflo, latorem presentium, ad vos duximus destinandum, supplicantes regie excellentie quatinus nobis concedere dignemini licentiam eligendi. Quia vero non consuevimus habere sigillum, immo semper sigillo nostre abbatisse utimur, sigillum dicte M., antequam fractum esset, una cum sigillo decani nostri, presentibus litteris apponi fecimus. Quia vero dictus reverendus pater dominus archiepiscopus eidem domine administrationem spiritualium commisit, quousque monasterio nostro de persona ydonea sit provisum, regie excellentie supplicamus, quatinus eidem M. administrationem temporalium committatis. Conservet vos Dominus regno suo per tempora longiora. Datum anno Domini M° CC° quinquagesimo quinto, die mercurii post dictam diem dominicam, qua die dicta cessio in nostro fuit capitulo publicata.